

EPI TOME S
ORTHOGRAPHIAE,

ALDI MANVT II,

PAVLLI F. ALDI N.

Compendiolum,

V T

*Puerilibus Scholis usui esse possit,
confectum*

A

PETRO HEGELVND O D A N O.



ANTVERPIAE,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.
clo. I. lxxix.

E P I T O M E S
ORTHOGRAPHIAE,

ALDI MANVTII,
PAVLLI F. ALDI N.

Compendiolum,

V T

*Puerilibus Scholis usui esse possit,
confectum*

A

PETRO HEGELVNDO DANO.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.

clo. I. lxxix.

i 1569 8993

In
ALDVVM ET PAVLLVM ALDI E.
ET ALDVVM PAVLLI F. ALDI N.

ALDE, laborum omniū moli insuperabilis Atl.
Parcarūmq; adeò vix superate manu:
Humanis namq; exemptus, rediuiuu in ipso
Primum idem gnato, moxq. nepote redit.
Aut quasi transscribens Musas hæredibus, vni
Has proprimum genti vis decus esse tuae.

In
ANCHORAM ALDI, ET
CIRCINVM PLANTINI,
lufus.

Sacra Aldi fundum valido tenet anchora moris,
Cui caudam Delphin insinuatq; caput.
Sic Plantine tuus constanter circinus uno
Stat pede, pescircum sedulus alter obit.
Amborum è rigido sunt instrumenta metallo:
Artificem exercet durus vtrumq; labor.
Sed Delphin celer est, & gyrat circinus orbem:
Et vincit CONSTANS omnia dura LABOR.

P. H.

PRÆSTANTI VIRO
MEDICINÆ VTRIVSQUE
singulare cognitione & peri-
tia excellenti,

P E T R O S E V E R I N O D A N O
Archiatro regio & Philosopho,

S. D.



V A M nobis in medium fa-
milia Aldina, pulcerrimis alio-
quin in remp. litterariam meri-
tis, & doctrinæ humanioris diu-
turna possessione, iam inde à
multis annis clara, Orthographiæ genuinam
rationem, studio & diligentia singulare, pro-
tulit: dignam existimauit quæ non magistris
solùm & eruditioribus, sed discipulis quoque
puerisq; effet notissima. Neq; enim ipsa tan-
tum Aldi officina in autorum bonorū emen-
datissima editione, eandem iam diu secuta
est Orthographiæ regulam: verùmetiam Ty-
pographi ferè omnes, elegantiores & littera-
tissimi quiq; homines, ijsdem vestigijs pro-
pemodum religiosè sibi insistendū esse duxer-
unt. Cùm enim certā aliquam veramq; scri-
bendi rationem, quæ ad incorruptæ antiqui-

A 2

tatis

tatis vsum quamproximè accedat , in lingua tam eleganti,tam vetusta, tamq; exculta, exstere oporteat : tacito consensu eam singularis industria & ingenio , addo etiam impensis Aldi Manutij, ex probatissimorum librorum diligentissima collatione (cùm nuspia iam alibi Latina gens, quām in libris habet) inuestigatam vñrpata m̄q; fuisse, haud obscur ea ipsa imitatione sua fatebantur. Quoniam itaq; de ea Aldus N. singulari scripto quādam complexus fuisse scitu digna , & vnde singula promisisset, candidē demonstrasse neq; etiam magnopere necesse esset pueri constare, quibus autoritatibus , quibūtue Grammaticis , libris antiquis , nummis veteribus, tabulis æreis, aut lapidibus , ista esse eruta & conquisita singula : statim ac id libnaeus eram , compendio summo contraddic̄ istam veluti epitomes epitomen scholæ me inculcaui: eadem simul opera aliquas praceptoris mei Ioachimi Camerarij inserui commonefactiunculas. At verò si neque omnium iudicio in assem satisfaciunt, neque vñrpanda statim à quolibet esse videantur neq; etiam inter se omnino autores illi consentiunt: tamen dū disquisitione maiori cōnonnulla opus esse,dumq; summos viros ne
bilissimaq; ingenia,tamquam in theatro litteratorum,in minutissima etiā curam & aciem intendere , pueri vident: mitificos diligentiae cuiusdam & circumspetionis , tamquam stimulos , animis ipsorum subdi necesse est. Adhac, de similibus alijsq; analogis, si ijdem vel admoneantur,vel suo ipsi ingenio animaduertant : habebunt hic sedē certam & nidulos quò ista congerat. Multa enim se offerēt plura in editionibus accuratissimè emaculatis bonorū autorū, quos officinæ Aldorū, Stephanorū,& nūc ex vicino Belgio, diligenter Plantini, suppeditant nitidissimos. De ijs ut semel ista ratione & peculiari libello cōmonefierēt adolescētuli,quò minus varietate lectionum turbentur in posterum : fortassis non omnis nobis opera lusa est. Vñsum itaque tandem fuit, hoc quidquid est opellæ , quod pueris nostris impendimus, pluribus quoque cōmune facere, & ad te etiam vir clarissime, mittere:quem scimus non in medicina tantū factitanda , præclarissimisq; inuentis expoliēdis occupatissimum esse: sed & piæ recreatio-
nis gratia Hebrææ linguæ puncta omnia atq;
apices excutere solere & perrimari. Atqui etiā quo iucūdius hoc tibi sit diuerticulū, *συγκρητιν*
delegisti, quoties in tam suaui religiosæ respi-

rationis pausa conquiescere lubet licetq; en-
ditissimum illum polyhistora, Jacobum Ma-
thiam Arrhusium, publicum Græcarū litt-
rarum in regia Academia Hafniensi interpre-
tem, sed & in Hebræa lingua Chaldaicā &
Syra, quemadmodum in totius humanioris
eruditionis cyclopædia exercitatissimū. Ce-
do ego vos vel isthac ratione, vulnus acce-
ptum morte subita, sed non improuisa, clavis
simi viri, amici communis nostri, tui vero
Seuerine, Achatis fratriſq; fidissimi, D.D. 10

HANNIS PHILIPPI PRATENSIS
studiorū iam inde ab ineunte ætate omnium
peregrinationumq; ac fortunarum, socij
æmuli amicissimi, mulcere atq; obligare. Ia-
verò & inter aulæ strepitus molestissime
profectionēq; crebras, ijs te solūm vti, ijsq;
te dedere vel patronis vel amicis, intelle-
quorum tum honorifica tibi est gratia ar-
amicitia, tum doctrinæ bonarumq; subiectio-
num plena sunt colloquia. Atque vt reliqua
taceam, non potest non optatissima tibi ei-
cum candidissimo illo, omnibusq; animis
corporis dotibus ornatisimo, A R N O L D
WITTELO, supremo regiæ maiestatis
cretario, libellorumq; supplicū magistro,
suetudo. Quām enim istius viri & elegan-

eruditio, & genus clarum, & genius morum
suauiſſimus, multorum ipsi vsq; antehac con-
ciliauit hominum studia & amores: tā nunc
in dignitate amplissima cōſtituto humanitas:
in occupatione ſumma diligentia & alacritas,
inter aulæ negotia, ſtudij cuiuſdam irremiſ-
ſus tenor, admirationi omnibus exiſtit. Nam
de hoc poſtremo faltem vt dicam: gaudemus
meritō, excitatum viri tam prætantis ardo-
rem, quo non prætentibus ſolūm hominibus
ſatisfacere, ſed & de omni posteritate bene
mereri cogitat. Quantum enim diligentia &
ſagacitate, quantū vſu rerū, quantū gratia &
autoritate potest, (potest aut merito ſuo plu-
rimū) tantū gentis noſtræ ſcriptis monumen-
tisq; rerū geſtarū vetuſtis ac memorabilibus
vndiquaq; colligendis conſeruandisq; iam-
diu elaborauit. Conuerit autem ſua illa hi-
ſtoriarum noſtratum tam diligenti conquiſ-
tione, oculos in ſe multorum atq; animos:
vt ſpem conceperimus certam, ipſum, ſi vel
dimiſſio ab aulicis curis, vel remiſſio aliqua
concedatur: totum illud in quod vindicare
ſe vñquam poterit otium, collocaturū in re-
bus patriæ ſuæ quām priuūm illuſtrandis, &
ad hominum memoriam cum dignitate pro-
pagandis. Certè dum proximis aliquot con-

gressibus , id quod antea auditione tantū accepseram, coram didicissem, cantopere ipsum historiarum studio flagrare tuosq; ad tam bene currentem secundos applausus incitatoresq; mihi tum reip. caussa, cor gaudio subilijs; si nulq; animum meum ex re ipsa subihas non quidem rerum , sed vocularū; ex dictissimi Aldi scripto , pueris à me decerpit antiquitates tibi offerendas, tuosq; istas paginas inscribendas esse nomini. Per pexi se enītū mihi videbar , te minime fastidiosum esse operarum scholasticarum aestimatorem & adolescentibus popularibus tuis , maximo virtutis eruditioñisq; decus affectandum, solum nomen tuum incitamento. Quod itaq; libellum istum puerilibus ingenij accommodatum , ex alijs exscripterimus , nostro in terram etatem studio; quod tibi inscripterimus nostro in te ipsum amoti condonabis. Vale.

R I P I S , Cimbricæ Chersonesi , Cal. April. 15 LXXIX.

Petrus Hegelundus
Ripensis.

A.

A

A, pro ab; & E, pro ex; & O, sine accentu scriberē, ex antiqua consuetudine, & ex Quintiliani auctoritate. Nibilo etiam magis, si accentum addas, quid significet, ostendas. Insigniuntur ramen ista vulgo accentibus , a è ô : fortassis ut euidentius ab ijs vocibus quibus interiecta sunt, distinguantur. Ita & Aduerbia quædam , Certò, Liquidò, Profectò: item Amabò. Quod etiam Prisciano (inquit Camerarius) placuisse animaduerto, ut partium orationis discrimen hoc modo indicetur. Sed multo melior autor Fabius hoc fieri oportere negat , quia nulla Latina dictio multarum syllabarum, habeat acutum tonum in vltima , quod Græci nominant ὀξύτονον. Non ergo oportet inculcari differentiæ caussa id , quod in natura sermonis non est, vel quod huic potius contrarium est. [vide infrà in dictione, Pane.] Quid, & Quām , ne pronomina viderentur, interdum apice suprascripto notari , doctis quibusdam placuit.

Abiicio, Adiicio, & Obiicio, duplii ij: cum sint à verbo Iacio: & A littera conuerterat in I: Idemq; in præterito mutetur in E, ut Afficio, Conficio, Officio, Refficio, abiecit, adiecit, obiecit, reiecit & similia. [verbum istud non Iicio, sed Iacio est: & præteritum non Icit, sed Iecit: inquit Gellius lib. iv. cap.xvii. Accensus, non adicensus.

Accerso, ere, euocare est.

Arcesso, ere, accusare, ab Arceo. [Sicut facesso à facio, capesso à capio , lacesco à lacio, incesso ab incedo.

A s

ACTIVM,

A C T I V M, cum c t, promontorium, [Epiri: ἀκτή, id est, secretum & amoenum litus. ἀκτής, litoralis, Atticus. Nam & Attica, antiquitus Aetevocata fuit, teste Plinio: Virg. Aeneid. v.

At procul in sola secreta Troades acta
Amissum Anchisen flebant.-]

A d o l e s c e n s, non **A d u l e s c e n s**: ut pote ab olescendo, iest, crescendo. unde & Indoles, & Adulta. [vide infrā, Soboles.]

A d s c i f o, non **A s c i f o**: alioqui secunda littera propositionis Ad periret: qua in compositione vel remaneat, vel immutatur. remanet in Adangeo, Adibio, Adhereo, Adduco, Adbibo, Adscribo: mutata in Affluo, Affirmo, Afficio, Appropero, Allici, Artero, & similibus. Ascensu tamen, absq. Dittera, legitur.

A d i t i m u s, an **A ë d i t u u s**, scribendum sit, nondum saniquet. A Gellius lib. xii. cap. x. à tuendis editum nomen deriuat: qui M. Varro nem sensisse dicit, magis editimum scribi oportere, quam adituum: quid alterum [ædituus] sit recenti nouitate fictum: alterum [æditimus] antiqua origine incorruptum.

A E M I L I V S, cum i, non cum y, [quamquam Græc est, αἰμιλίος blandus.]

A E r u m n a, cum æ; à Graco æptiv, vel quod marorem minuat; aut per solum e, quod mentem eruat.

A E t h e r i u s [αἰθέριος] non **A E t h e r e u s**, sicut Aërius.

A F R I C A, non **A P H R I C A**. [Nam illud æv opus futile est. Camer.]

Aggregior, Afficio, Affinis & similia, ob pronunciandi suavitatem placent, mutata secunda littera propositionis. etenim Veteres etiam ipsos multum auribus tribuissi

tribuisse video: ideoq; dicebant, Aufugit, Aufer; non Abfugit, Abfer: & Ignati, Ignau, Ignari; non, Innoti, Innau, Innari: ut ait Cicero in Oratore.

A G R A G E N T U M, non **A G R I G E N T U M**, Græcè ἀράγαρτος. [vrbs Siciliae] Plinius quoque Agragantium bitumen dixit, lib. iii. cap. 8. & Virg. En. lib. iii.

Arduis inde Agragas ostendit maxima longè.

A H E N O B A R B U S, non **A E N O B A R B U S**; Domitiorum cognomen.

A L I A, flumen; unde, Pugna Aliensis, vnicā l scribi oportere existimauit Seruius, super illud Virgilij Aeneid. vii. Quosque secans infanstum interlinuit Allia nomen. Sed Poëtam metri causa alteram l addere, vt in Reliquijs, Relligio. [Id verò pluribus, propter exempla multa similia, in quibus geminatur l & non placet.]

A l i c a, sine adspiratione. [species frumenti, q:quod alat corpus.]

A l i t u s, melius dicitur (inquit Diomedes) quam Altus, ab alor, vitanda ambiguitatis gratia. Altus, est in oratione pro Plancio, & Alta, in Bruto Ciceronis; pro Alitus & Alita.

A l l e c t u s, non Adlectus; aurium indicium securus.

A l u c i n o r, libenter scribo, ductus auctoritate Festi, & vnicā l: & placet Etymologia, dictum esse, quasi, A luce aberro.

A mœn u s, per Oe. Seruius Aeneid. lib. i. Amœna, inquit, quasi Amunia, hoc est, sine fructu.

A n n æ v s, cum æ, familia in Hispania, è qua Luncanus poëta, & duo Senece.

A n t l a r e, Festus dicit, à Graco ærrō, deductum: non Anclare

Anclare: *Itemq; Exantlare* (quod & in Plautologij tur) hoc est, exbaurire.

Anulus, *vnica* N, ex antiqua consuetudine; cum quavi detur consentire Etymologia; cum deducatur ab Ano, quasi *Anulus* sit parvus *Anus*. nam à Græco deducim placet. Alij ab Anno deriuatum putant, quod in sene deat ut *Annus*: ex quo duplice NN scribendum affirmant. Ego & antiquitatem sequor, & veriorem, n arbitror, Etymologiam.

APENNINVS [mons qui vniuersam Italianam dis pescit] *vnica* P, & duplice NN. [Alij scribunt Apenninus, q: Alpes Pœnorum, per quas Hannibal sibi arte & vi viam primus fecit.]

APOLO *vnica* P, & duplice LL. [Απόλλων.]

APVLIA, & APVLVS, *vnica* P. Apulia primā syllabam modo corripit, modo producit; secundam vñ semper producit, vt ex Horatiū versibus liquet, Graciq. Atoula scribunt. In A pulus autem semper producitur prima, corripitur secunda; vt idem Horatius præterea *Lucanus*, *Martialisq; ostendunt.*

Arena, *sine adspiratione*; vt deducatur ab Ariditate; id quod magis placet *Sernio*. Harena ab *Hærendo*, quod magis probatur *Carisio Grammatico*.

Arista, etiam *sine adspiratione*, ab Ariditate.

Artus, non *Arctus*, a, um, scriptum video in antiquissimis libris.

Attuli, non *Adtuli*; & similia; aurium sensu compre bante.

Auctor, & *Auctoritas*, *cum c t: ab Anquo*: [alijs plau cuit scribi Autor, vel ab aucto, aut, autum: vnde deduxit Rodolphus Agricola: vel ab autōs. cī generis communis. Ouid. Fast: v.

Op̄i

Optima tu proprij nominis autor eris.]
Aula, simplici L. unde *Olla*, ne quis putet gemina LL scribendum, vt *Paulla*, *Polla*, de quo suo loco.
Aurifex, & Aurufex, cognatione litterarum I & V: ut in *Optimus*, pro *Optimus*, & similibus.

B

BÆTICA, *prouincia*, *cum æ*, & *sine adspiratione*.

BALIARES, & BALIARICVS, scribenda per i, non per e. *Graci quoque Balenapides.*

Balneum, sive Balineum. *Vtroque enim modo veteres pronunciabant.*

Bellua, LL geminata; quod ab ea *Bellum* deducatur.

Bibliotheca, aut Bybliotheca, non Biblyotheca: ex Græcia consuetudine. [Græci enim promiscuè scribunt, τὰ βιβλία, & εὐελα, codicilli libri; ή βύβλος charta.]

B'LÆSVS, *cum æ*: cognomen Semproniorum.]

Bracchia, duplice cc. [Græcè tamen est *Braxio*.]

BRITANNIA, *vnica* T, & duplice NN.

BRVN DISIVM, non BRVNDVSIVM.

BRVTTII, duplice TT; *Italia* populi.

Bucina, *vnica* C. *I*sidorus enim *Bucina*, inquit, dicta à Voce; quasi *Vocina*. [Vulgo tamen duplice cc scribunt, tamquam deriuatum à Bucca.]

BYZACIVM, & BYZANTIVM.

C

CÆCILIVS, *cum æ*.

CÆCINA *cum æ*, à *Cecus*.

Cælebs,

Cælebs, per \ae , quod calo dignam agat vitam.
 Cælo, *lus*, cùm scilicet significat, cum \ae diphthongo.
 Cælum, cum \ae . libri, Virgilius Carpenfis, & lapid.
 • Quidam à calando deducunt, quod verbum item cum \ae scribitur. Plinius, lib. 2. cap. 4. Cælum haud dubie Cælati argumento diximus, vt interpretatur M. Varro. Isidorus quoque lib. xiii. cap. 4. Cælum, inquit, vocatum, eo quod, tamquam calatum vas, impressa lumina habeat, stellarum veluti signa. nam Cælum dicitur vas, quod signis eminentiōribus resfulget.
 Præterea, Cæsum colorem, à Cælo deduci, testatur Gellius: Cæsum autem cum \ae scribi nemo ignorat. Gelly verba sunt lib. ii. cap. 26. Cæsia, inquit, dicitur, quæ à Græcis γλαυκῶπις, vt Nigidius ait, de colore cæli; quasi cælia.

Cænum, pro limo, cum \ae .

Cærimoniæ cum \ae in prima, & i in secunda, videtur scribendum. Deductum hoc nomen, vt ait Festus, quidam à caritate putarunt, quod absurdū est. Quoniam enim cærimonijs cum caritate? aut quæ omnino similitudo? Isidorus quoq., & Massurius Sabinus apud Gellium, lib. 4. cap. 9. & Macrob. lib. 2. cap. 3. & lib. 3. cap. 3. à careo derinant. Ego à Cerete opido, vel patius à Cæritibus, eius opidi incolis appellatas Cærimoniæ puto. quod confirmat T. Linius lib. v. & Valerius Maximus. Sunt etiam, qui à cælo derinent: quod scilicet ad caelestium honorem pertineant: vt cærimoniæ, quasi calimoniæ, vocentur: sicuti & carolem, pro caluleus, dicitur. ita patebit diphthongi caussa. Nam Cælum cum \ae scribi, iam ostendimus. Nec de sunt huius generis exempla, in quibus i, non e, in secunda syllaba reperitur: vt Querimonia, Alimonia,

Parci-

Parcimonia, Sæcimonia, Mercimonia. [Qui simplici e scribūt, à Cerere deducere videtur, vel ab iepos.] Cæruleus, cum \ae , quasi Caluleus, à cælo.

Cæsena vrbs Italia cum \ae .

Cæsivs, cum \ae .

Cæstus, cum \ae , [arma pugilum. Virg. Aeneid. v.]

Seu crudo fudit pugnam committere cæstu.]

CALPVRNIVS, non CALPHVRNIVS; aut, CALFVRNIVS; deducitur nomen à Calpo Numa filio.

CALIDON, cum i, non cum y. [Ætolia opidum: Sed est & in ea Britannia parte, quam Scotiā vocant, Silua Calydonia, in quo tamen significato, scribitur plerūq; Caledonia, per secundā vocalē.]

Camara dicitur, vt Verrinius Flaccus affirmat, (apud Carisium, lib. i.) non camera, per e. Sed Lucretius -cameraq; caminis Ex cratibus dicendo, etiam cameram dici posse, ostendit. Camera, (inquit Festus) & Camuri Bones à curuatione, ex Gracco καμπή, dicuntur.

CARTHAGINIENSIS, non CARTHAGINENSIS. Cartaginis autem nomen à Charta deductum Seruius in Virg. lib. i. Aeneid.

Carus, & Caritas, sine adspiratione.

CATVLVS, Valeriorum cognomen, duplii LL.

CATVLVS autem Lutatiorum cognomen, unica L.

Caussa, duplicitiss, à Cœvo: vt sit caussa quasi cauissa.

Cedrus, ne quis contra Grecam etymologiam cum diphthongo scribat. [Est enim x̄dpos.]

Cella, sine diphthongo, & dupliciti LL.

Celo, pro Occulto, sine diphthongo.

Cena, sine diphthongo; alijs scribunt cum \ae , malè omnino. nam, si esset diphthongus apponenda, esset potius

Oe. ſſi-

Oe. *I*sidorus enim cœn*m*ait vocari à commun*i*v*e*ſcentium; κοῖνον quippe Graci commune dicunt.

Cera, *sine diphthongo* [Græcè υπός.]

C E R I A L I A, *non C E R E A L I A*.

Cestus, *sine diphthongo*; [χέσος] *cingulum Veneris*.
Graco κεντήν: vnde κεντρόν, *genus teli*.

Cetera, *sine diphthongo*. [Vulgo Cætera, q: κέτη]

Circumuenio, *non Circunuenio*, & similia.

C I V S, *non T I V S*, ita scriberem *ut* pronunciatur,
deriuatis aut à *spinis*, aut à *nominibus*; à supini.
Aduenticius, *Ficticius*, *Editicius*, *Translaticius*, *Im-
positicius*, *Insticetus*, *Dediticius*, *Repticetus*, & simili-
bus: à *nominibus*, *ut* *Patricius*, *Tribunicius*, *Am-
icius*, *Latericius*, *Nonicius*, *Comptalicius*.

Cloaca, *non Cluaca*.

C N A E V S, *prænomen*, *cum c & æ diphthongo*.

Cœpi, *cum Oe*, *pro Incepi*; *ab antiquo verbo Capio*.
[Sed Capio facit cepi.]

Collega, *non Conlega*, & similia, *aurium sensu* con-
probante.

Comissatio, *vnica m*, & *duplici ss*, *ex Festi sententi*
qui deducit à *vicis*, *quos Graci κοινὰ dicunt*: *κοινάζω*. *Sunt qui scribant Comellatio*; *vel* *Com-
messatio*; *contra omnem antiquitatem*.

Comprehendo, *sine diphthongo*. [Etiam contradi-
Prendo, Prensus, Prenso; pro prehendo, prehan-
sus, & preenso, *sine diphthongo* sunt.]

Concio, *cū c*, *quasi Conuocatio*: *vt à verbo Concier-
ductum esse videatur*; *non verò Contio*.

Condemno, *non condempno*: [De complexione
consonantium in his dictionibus; emptum, con-
tempsi, ademptum, & similibus, non est dispu-
tandum]

tandum, cùm scriptura mendosa sit inserta littera
P. IOACH. CAM.]

Condicio, *cum c*, *ex antiquis libris*. [Eſſet ne verius
conditio per T, quippe verbale à Condo, condi-
tum? atqui ita placet Camerario.]

Coniux, *scriberem*; *non coniunx*; *Nam plae-
cet deriuare à Iugo, vel à Coningo, verbo: ut vicetur
ſenſiſſe Catullus: Tum Thetidi pater ipſe ingan-
dum Pelea ſenſit.* [& Virg. Æneid. 1. *Cui pa-
ter intactam dederat, primiſq; ingārat Ominibus.*] *Connubium*, *duplici NN*, *ratione compositionis*.

Considero, *cum i*, *non cum y*; *quia Latinum est, non
Gracum*. [Sic & Desidero & Sidus, *per i*, ab Inſi-
dendo: de quibus poſtea.]

Consumo, *consumis*, *vnica m*.

Consummo, *as*, *duplici mm*.

Conuicium, *cum c*, *quasi conuocium*; *vel à vicis*, *vel
fortaffe ab vtroque*, *ide est, à confusis vocibus in vicis*.

Culcita, *non culitra*.

Cunctari, *non contari*. *Festus à Verrio diſſentiens,
Percunctatio*, *scribi vult, non Percontatio*: *quod is
qui curioſe quid interroget, per cuncta viſit*.

D

Definitio, *scriberem libentius*, *quām diffinitio*. *Sic &
Designator*, *potius quām diffignator*.

Delectus, *à verbo deligo*, *ex De & Lego*: *quasi de mul-
tis lego: non dilectus*. *Sic & Decerpo, quasi, de multis
carpo*.

Deliciae, *cum c*, *à Delicatus*.

D E L M A T Æ, *non D A L M A T Æ*.

Deminuo, non diminuo, libri veteres.

Desidero, cum i., non cum y. Latinum enim est.

Diœcesis, non Diocesis. Graci quoq. Sciriens dicunt.

Difsicere, verbum exsulat hodie à lingua Latina
bonorum auctorum libris. Ego existimo Difsicere pro
priè idem valere, quod difsecare: Nam & in alijs com
positis verbi s E C O , e mutatur in i. Sic Subficiu
[vulgo succisiu]s: vt horis Succisiu]s, id est, maf
yos] nam ita in vetustis libris perpetuo scribitur. A
Difſeco, cas, ergo est Difſectus, vel Difſecatus, & Dif
ſectim aduerbiu[m], & Difſicio idem quod difſeo. Fi
ſcianus quoq. xiv. vbi de DIS præpositione agit, em
merat quoque Difſicio. Sed omnem ſcripulum eximi
Laetantius, qui lib. ii. cap. iix. ita ſcribit: Capit
tur hanc, inquit, cotem, eamque nouacula difſice: ille incunctanter accepit, & fecuit. Videtur etiam
Virgil. legendum eſſe lib. viii. Eneid: Difſice, com
poſitam pacem, ſere crimina belli. Atque ita eſſe
antiquis codicibus. Idem lib. i2. -ille ſecuri
e Aduerſi medianam frontem mentumq. reducta
Difſicit, & ſparſo latè rigat alma cruore.
Sic libri veteres omnes. Et in Prudentio: Ti
Christe ſomnum difſice, i. difſipa, diſcute. Et
hymno de Laurentio: Cum membra morbus diſſici
Item illud Nanij, Saxa, ſiliuas lapides, mons
diſſicis, diſſipueras.

DOLABELLA, non DOLOBELLA, cognomen Ca
neliorum. venit enim à Dolabra, per diminutionem.

DOMITIVS, DOMITIANVS, cum t.

Dumtaxat aduerbiu[m], cum m.

Ecloga,

E

Ecloga, non Egloga, aut Ægloga, à Greco ἔκλογη.

Epiftola, nō Epiftula. Nā deductur ἐπισολὴ ab ἐπιστέλ
λω, ſicut Stola & Apoftolus ab eodem verbo, &
diſcopolὴ.

ETRUSCVS, ſine Adſpiratione.

Eulogium, non Elogium, aut Eclogium. libri veteres
& Graeca conſuetudo.

Exodus, cum Adſpiratione. Quia componitur à Gra
co id: nec aliter libri veteres.

Exſatio, & Exſaturo, recepta S, ratione compositionis,
& veterum librorum autoritate. Nec me mouent
quidam, qui in x, c & s litteras inceſſe dicunt, ideoq.
ſuperfluum eſſe contendunt. nam in Extundo, Ex
hilaro, Exprimo, Exposco, & ſimilibus, s littera non
eſt neceſſaria: cùm eorum verborum crigo ſit Tundo,
Hilaro, Promo, Posco: & tamen cùm in x ſit c &
s, vt iđem dicunt, ſe quoque adſcribimus: in ijs
autem verbis vbi ex compositione maniſtum eſt ſe
litteram eſſe; x contenti eſſe debemus.

Exſcribo, non Excribo; eſt enim maniſta com
poſitio: & quamquam ſi in pronunciando non ſatis
intelligitur, abiſienda tamen in ſcribendo non vi
detur.

Exilio, non Exilio, recepta prima verbi littera. nam
componitur ab Ex & Salio.

Exſoluo, cum ſi, ratione compositionis.

Exſpecto, cum ſi, componitur enim ab Ex & Specto, non
Pecto, quod aliud significat.

Exsto, non Exto, ab Ex & Sto.

Exstruo, cum S. ab Ex & Struo.

Exfudo, cum S.

Exsulo, cum S. Quia Exul dicitur quasi Ex solo eiechit.

Exsupero. Quia componitur ab Ex & Supero.

Exsurgo, non Exurgo, & similia scribo, conservata
prima verbi littera. Scaurus etiā idem videtur sensisse
cūm dixit sic scribendum, Exspecto, Exsulo, & similia.
[De his ita IOACH. CAMER. Exsuum & Exps, &
Exspecto, Exsequor, ac similia repertiuuntur in quibusdā libris, qui sunt, vt dicā, νετάλαιοι. Et anno-
tauit Priscianus hanc scripturā, cūm quidē impro-
bet, & est improbanda. Non enim duæ geminatæ
consonantes alterā consonantem sequuntur. Ne
dicimus abſcissus, aspicio, aspiro, deſpicio, &
similia. Sed aspicio, abſcissus, despicio, &
ſimiliter, exul, exilium, exequor, expes, expecto,
expuo, expolior, aspicio. Item alio in loco; As, ſa-
as, spicio. dis, spicio. ſus, ſpiro. as, ſtipulor. ſu-
ſpicio. ſus, ſcribo. ſus, ſterno. & similia: Ver-
illa quidem ſunt, cūm habeant præpositionis
mutatam consonantem. Sed molliuntur pro-
rendo, Aſto, aspicio, dispicio, ſuspiro, ſtipulor,
ſuspicio, ſubſcribo, ſuſtero. Sic & in extirpo
extinguo, exto, expecto, non eſt cur ſi littera in-
ſeratur.]

F

FABRICIVS, cum C.

Fabrum, non Fabrorum, probaffe Cicero videtur. Em-
baci ſunt, in Oratore: Nam, vt Censoria Tabula
quoniam, Fabrum, & Procum, audeo dicere; non Fe-
brorum,

brorum, & Procorum.

Facillimus, & Difficillimus, scribo, cum gemina II.,
vt prodicatur syllaba, qua alioqui brevis eſt: in quo
me mouent exempla Poëtarum. Alijs placet scribi
vnica L: cum quibus non diſputo. ſuum enim quisque
amat: & ut in Proverbio eſt, Sua cuiq. ſponſa.

FALISCI, populi, non PHALISCI.

Fæx, cum æ. libri veteres.

FANNIVS, dupli ci NN, familia Romana.

Fecundus, ſine diphthongo. Varro: Fenerator, à fe-
re eſt cognominatus. Fenius autem diſtum eſt à fetu,
& quaſi fetura quadam pecunia parientis atque in-
crescentis.

Felix, Felicitas, ſine diphthongo. [In Latinis multis
pro longis vocalibus ceptæ fuerunt scribi di-
phthongi, vt fælix, felix, quia veteres ſcriperunt
feelix. IOACH: CAMER.]

Femina, ſine diphthongo,

Fenus & Fenerator ſine diphthongo. Sic enim videtur
ſenſiſſe Festus, cūm hac dixit: Fenius appellatur na-
turalis terra Fetus: ob quam cauſam & nummorum
fetus Fenius eſt vocatū, quod crediti nummi alios pa-
riant, ut apud Gracos eadem res tōkos dicuntur.

Fenum quoq; pratorum ab hac cauſa eſt appellatum,
quando idipſum, manens quotannis, nouā parit. Vnde
etiam Festuca vocata eſt. Idem etiam tradit
Varro. Quamquam etiam moneat, atate ſea ab alijs
cum æ, ab alijs ſine A ſcribi ſolitum. A. Gellius lib. XVI.
cap. 12. Fenerator appellatus eſt, quaſi φανερότερον,
ἀπὸ τῆς φανερᾶς ἐπὶ τῷ χρηſτότερῳ: quoniam id genus
hominum ſpeciem ostentent humanitatis, & commodi
eſſe videantur in opibus nummos defiderantibus.

Huius inconstans signa sunt in antiquis lapidibus, & libris: cum alijs, Fenus, alij, Fenüs, habeant; item FOEN. cum Oe.

FESCENNINVS, duplii NN.

Fetiales, cum T. *Greca consuetudo.*

Fetus, sine diphthongo.

Flameus, color, vnica M. *Festus dixit flameum colorem dictum esse, eo quod eo veteretur Flaminis uxor Flaminica. Flamen autem scribi vnica M, nemo, paucus humanior, nescit.*

FLAMINIVS, gentis Romanæ nomen, vnica M. Flamma, duplii MM.

Fœdere, pro, *Inquinare*, cum Oe.

Fœdus, cum Oe.

Frenum, sine diphthongo. Sic &

Fretum. [quippe prima syllaba breui.]

G

Genitrix, non Genetrix. Non enim dicimus Genetrix, sed Genitus. [Verbalia enim in Tor, Trix, Tium,

Tio, Mentum, Crum, retinent pœnultimam proprij supini. vt, victor, victrix, solatium, confortatio, testamentum, sepulcrum, simulacrum.]

Glæba, cum & diphthongo.

GOTHI, populi, cum Adspiratione.

H

HADRIANVS, & HADRIA, cum Adspiratione.

Hædi, cum & ex M. *Varrone.*

HALICARNASSVS gemina ss. *Greca consuetudo.*

HAN-

HANNIBAL, cum Adspiratione.

Hariolus, inquit Donatus in Terentium, quæsi Hariolus: à Fatis, & à Fando. H enim, pro F, & item f, pro h, in multis locutionibus mutabantur. An ab balando nam balitu solent excludere velut mortalem animam, vt dininam recipient.

Haruspex, cum Adspiratione. Donati verba sunt in Terentij Phormionem act. 4. sc. 4. Haruspex ab Harruga nominatur. Nā Harruga dicitur hostia, ab Harrua, in qua concluditur, & sernatur. Hara autem est, in qua pecora includuntur.

Hasta, cum Adspiratione.

Hauie, cum Adspiratione. Aue autem sine Adspiratione raro admodum scriptum animaduerti.

HE CATE, cum Adspiratione.

Hehe, dolentis.

